

matim proponatur, neque ut dispescatur in partes, habeat opus. Casum etiam hic fingere non licebit, cum ipse textus casum exhibeat nobis. Igitur tantum verba legis apponamus:

Lucius Titius ita testamentum fecit: AVRELIVS CLAVDIVS NATVS EX ILLA MVLIERE, SI FILIVM MEVM SE ESSE JVDICI PROBAVERIT, HERES MIHI ESTO; Paulus respondit, filium, de quo quæreretur, non sub ea conditione institutum videri, quæ in potestate ejus est, & ideo testamentum nullius esse momenti.

a) vide Labittum in indice p. m. 427. b) scil. l. 25. de lib. & posth. l. 45. de vulg. & pupill. l. 90. de acq. hered.

§. X.

Quamuis autem tam verba, quam sententia decisionis Paulinæ sint perspicua, ratio tamen, quam Paulus decisioni dedit, est ambigua, vel certe non defunt etiam argumenta, quæ de rationis istius veritate aliquem possint reddere dubium. Igitur quo res procedat melius, necesse est, ut quædam præmittamus de conditionibus, sub quibus filios licet instituere, tum, ut distinctius de veritate & sensu rationis, quam Paulus attulit, dispiciamus.

CAP. II.

DE

CONDITIONIBVS, SVB QVIBVS FILIOS-FAMILIAS LICET INSTITVERE.

SUMMARIA.

*Triboniana heredum divisio emendata. §. 1. Diversi effectus præteritionis suorum heredum. Lex 8. §. 1. de injust. testam.*